

DISSERTATIO III.

DE RELATIONIBUS DIVINIS.

D. Thom. Quest. 28.

ARTICULUS I.

Utrum in Deo sint aliquae Relationes reales?

Dico: In Deo sunt aliquae relationes reales. (Hic q. 28. a 1. o. q. 8. de pot. art. 1. o. Q. 8. cit.) Prob. 1. Fide certum est, dari in Deo tres personas realiter distinctas, easque non distingui realiter in absolutis, in quibus sunt consubstantiales: ergo in relativis, seu relationibus. Subsumo: atqui non in relationibus rationis, haec enim distinctionem realem facere non possunt: ergo in relationibus realibus: ergo dantur in Deo relationes reales. Majorem late probavimus in Dissert. Proemiali; subsumptum esse per se notum. Unde S. Thom. citatus dicit, conclusionem esse de fide. (Hic cit. in arg. s. c.) Confirmatur: Pater non dicitur nisi a Paternitate, & Filius a Filiatione: ergo, si Paternitas & Filiatione non sunt in Deo realiter, sequitur, quod Deus non sit realiter Pater aut Filius, sed secundum rationem intelligentiae; quod est haeresis Sabelliana.

Nec obstat, Deum dici realiter Dominum, quamvis relatio Domini non sit realiter in illo. Nam disparitas est, quod absque relatione reali domini in Deo remaneat ejus fundamentum reale, nempe creaturarum productio; quod sufficit, ut denominatio sit realis, licet relatio sit tantum rationis. At in nostro casu absque relatione reali non manet fundamentum reale; quia fundamentum reale est generatio: generatio autem exigit extrema realiter distincta, seu distinctionem realem inter generantem & genitum. Cum ergo omnis distinctio realis in divinis sumatur a relationibus, si istae non sunt reales, non erit realis distinctio inter extrema, seu inter generantem & genitum, nec consequenter generatio.

Prob. 2. (Ibid. o.) Cum aliquid procedit a principio ejusdem naturae, necesse est, quod ambo, scilicet procedens & id a quo procedit, in ordine convenient, & sic habeant respectus reales ad invicem, ut patet in generatione hominum; atqui processiones in Divinis sunt in identitate naturae: ergo necesse est, quod relationes, quae secundum processiones divinas accipiuntur, sint relationes reales.

Ex dictis inferes, relationes in Deo esse reales, non solum secundum conceptum in; sed etiam secundum conceptum ad: quia secundum illum conceptum ad causant realem personarum distinctionem, quatenus solus respectus ad causat oppositionem relativam, in sola autem oppositione relativa fundatur omnis distinctio in divinis.

Nota tamen, quod, quamvis relatio in divinis sit realis secundum conceptum ad, non habeat tamen, quod sit realis ex illo conceptu, seu ex illa parte, qua est ad aliquid, sed ex illa parte, qua inest. (Q. 2. de pot. art. 5.) Quia relatio secundum rationem sui generis, in quantum est relatio, non habet quod sit aliquid, sed solum quod sit ad aliquid. Quod sit verò aliquid secundum rem, habet ex illa parte qua inest, vel ut idem secundum rem ut in divinis, vel ut accidens in subjecto, ut in creaturis. Unde, quamvis relatio realis ex modo significandi non explicet in, implicat tamen, cum sit id, quo subjectum respicit terminum. (Q. 8. de pot. art. 2.) Et, licet non significetur ut inherens, tamen oportet ut sit inherens.

Dices 1. Relatio realis multas involvit imperfectiones: ergo non est in Deo. Prob. Ant. 1. Est debilissima entitas. 2. Facit compositionem cum relatio. 3. Facit illud dependere a correlativo. 4. Ordinatur illud ad aliquid, quod etiam repugnat Deo: ergo. (Ibid. art. 1. ad 4. 5. & 10.) R. N. Ant. Ad 1. & 2. Probationem, R. eas verificari de relationibus realibus in creaturis, quae sunt accidentia, non de relationibus divinis: quae identificantur cum divina substantia. Ad 3. pariter R. eam esse veram de relationibus realibus in creaturis, quae habent diversum esse ab esse substantiae, cui superadduntur, & ab esse termini, ad quem referuntur; quia sunt accidentia: non autem de relationibus divinis, quae habent idem esse cum substantia divina; illud enim proprie loquendo dicitur dependere ab alio, quod habet esse diversum ab illo, adeoque dependens. Si dicas, saltem unam personam dependere ab alia, quia correlativa a se mutuo pendet, & ita loqui S. Basilium Ep. 43. similiter eum, qui in Concilio Florentino Latinorum partes agebat ultima sessione, R. non esse intelligendam dependen-

tiam proprie sumptam pro subordinatione, indigentia, & inferioritate; sed improprie sumptam, pro mutua exigentia, seu nexu. Ad 4. R. repugnare Deo ordinari ad aliquid extra se, non ad aliquid intra se: neque id sic debet intelligi quasi natura divina referatur, sed persona; id enim solum refertur, quod relativè opponitur, id autem solis personis competit.

Dices 2. Deus producendo creaturas non habet relationem realem ad illas: ergo nec producendo Verbum. (Ibid. ad 3. et hic art. 1. ad 3.) R. N. Conseq. Disparitas est, quod Deus producendo liberè creaturas per actionem virtualiter transeuntem non communicat illis suam naturam, sed remanet extra totum ordinem creaturarum. Unde nihil est in ipso, per quod referatur realiter ad ipsas, licet ipse ad eas realiter referatur, quia ab ipso naturaliter dependet. Ad producendum naturaliter per actionem immanentem & necessariam Filium sibi consubstantialem, est ejusdem ordinis cum ipso, & est in utroque id, quo realiter referuntur ad invicem. (Hic quest. 13. art. 7. o.) Itaque, quando duo sunt ejusdem ordinis, & est inter illa habitudo secundum aliquid realiter conveniens utriusque, tunc est realis ex parte utriusque, ut patet in relationibus, quae sequuntur quantitatem, ut parvum & magnum, duplum & dimidium, & hujusmodi, nam quantitas est in utroque extremorum: & simile est de relationibus, quae sequuntur actionem & passionem, ut motivum & mobile, Pater & Filius. At, quando extrema non sunt unius ordinis, nec est inter illa habitudo secundum aliquid realiter conveniens utriusque, tunc non est relatio realis ex parte utriusque; sed potest esse realis ex parte unius, & rationis tantum ex parte alterius, ut patet, v. gr. in sensu & sensibili, in scientia & scibili. Nam, cum res, in esse suo naturaliter existentes, & secundum illud considerata, sint extra ordinem sensibilibus & intelligibilibus; quamvis in sensu, & scientia sit relatio realis, in quantum ordinantur ad sentiendum, & sciendum res, in ipsis tamen rebus sensibilibus & scibilibus, in se consideratis, non est relatio realis, quae referuntur ad sensum, & ad scientiam. Cùm ergo Deus sit extra totum ordinem creaturarum, & omnes creaturae naturaliter ordinantur ad ipsum, & non e converso, manifestum est, quod creaturae realiter referantur ad ipsum, non ipse ad illas. At verò Pater, & Filius in divinis, cùm sint ejusdem ordinis & naturae, sitque inter eos habitudo secundum aliquid conveniens utriusque, est ex parte utriusque realis relatio.

Dices 3. Relationes, quae consequuntur operationem intellectus, sunt relationes rationis; atqui relatio Patris ad Filium in divinis consequitur operationem intellectus: ergo. (Hic art. 1. ad 4.) R. D. Maj. relationes, quae consequuntur operationem intellectus in ipsis rebus intellectis, quatenus intellectus unam ad aliam comparat, sunt relationes rationis, C. Maj. quae consequuntur operationem intellectus in ipso intellectu, quatenus verbum procedens ab intellectu dicit ordinem ad illum, N. Maj. nam & intellectus, & intellectio, & verbum sunt reales. Hujus autem generis est Paternitas, & Filiatione in divinis.

Dices 4. S. Aug. l. 7. de Trinit. c. 1. comparat relationem Patris divini ad Filium relationi Domini ad servum, & l. 5. c. 16. relationi nummi ad pretium a Principe statuendum: atqui relatio, tunc Domini ad servum, eum nummi ad pretium, non est realis, sed rationis tantum: ergo, R. ad 1. D. comparat quoad aliquid, C. quoad omnia, N. Invidi igitur dumtaxat eo loci Aug. in Deo esse quaedam absoluta & ad se, ut esse bonum, sapientem, &c. quaedam relativa & ad aliud, ut esse Patrem; quod illustrat exemplo hominis, in quo est quid absolute, scilicet esse hominem, & quid relativum ut esse Dominum: unde ejus comparatio tenet quoad rationem relationis ut sic, non quoad conditiones relationis. Ad 2. R. S. Augustinum ibi loqui de relatione Dei ad creaturas, quam fateretur non esse realem; non verò de relatione Dei Patris ad Filium. Plura alia argumenta vide in Auctore q. 8. de pot. cit. art. 1.

ARTICULUS II.

Quot sunt in Deo Relationes reales?

Dico 1. (Hic art. 4. o.) Sunt in Deo quatuor relationes reales originis, nempe, Paternitas, Filiatione, Spiratio activa, & Spiratio passiva, seu processio; (Hic q. 30. art. 2. ad 1. Et

Et in 1. d. 27. q. 1. art. 1. o.) sic tamen quod spiratio activa non distinguatur realiter a Paternitate, & Filiatione, sed virtualiter tantum.

Prob. (Hic art. 4. cit.) 1. Pars. Relationes reales originis accipiuntur in Deo secundum processiones ad intra, in quibus fundantur, consequenter tot sunt in Deo relationes reales, quot exigunt processiones ad intra; atqui sunt duae processiones ad intra, una per intellectum quae est processio verbi, altera per voluntatem quae est processio amoris, & qualibet exigit duas relationes, scilicet principii ad principiatum, & e converso principii ad principiatum: ergo sunt quatuor relationes reales, scilicet Paternitas, & Filiatione fundatae in processione per intellectum, Spiratio activa, & Spiratio passiva fundatae in processione per voluntatem. Prob. (In 1. cit.) 2. pars: juxta principium communiter receptum, omnia in Deo sunt realiter unum & idem, ubi non obviat oppositio relativa; atqui communis Spiratio activa, quae est in Patre, & Filio non opponitur Paternitati, & Filiationi, sed disparatae se habet ad illas: ergo non distinguuntur realiter ab illis.

Ad quorum intelligentiam observandum est, relationes in creatis realiter distinguuntur ex duplici capite. 1. Ex oppositione ad suum correlativum. 2. Ex ipsa limitatione, quatenus, cum sit creata relatio, ex hoc ipso limitata est ad suam speciem, nec potest habere speciem, & perfectionem aliarum relationum, nec potest esse una, & eadem entitativè respicere plures terminos, etiamsi tantum disparatos, obstante ad hoc limitatione creaturae realitatis relativa. At verò in divinis non currit haec limitationis ratio propter amplitudinem infinitatis, sed tantum ratio oppositionis correlativae; & ideo, cum relationes Paternitatis, & Filiationis non opponantur relativè Spirationi activae, ab illa non distinguuntur realiter, sed una & eadem entitas propter suam infinitatem potest respicere diversos terminos.

Hinc (Ibid.) inferes 1. quamvis sint in Deo quatuor relationes reales, non esse tamen quatuor relativae, neque quaternitatem, sicut definitum est cap. Damianus de summa Trinitate. 2. Non esse quatuor personas; quia personae constituuntur per relationes oppositas, & non per disparatas; unde Spiratio activa non constituit personam aliam a persona Patris, & persona Filii.

Dices: multiplicato inferiori, multiplicatur superius, v. gr. multiplicato homine, multiplicatur animal; atqui relatio est quid inferius ad ens: ergo, ubi sunt quatuor relationes reales, sunt quatuor res relativae, consequenter quaternitas. R. D. Maj. multiplicato inferiori realiter, & entitativè multiplicatur superius. C. multiplicato inferiori terminativè tantum, seu per connotationem alicujus extrinseci, multiplicatur superius, N. jam autem Spiratio activa non addit entitatem Paternitati, sed eadem entitas Paternitatis, quae respicit Filium ratione suo illimitationis, respicit etiam Spiritum S. sicut eadem entitas misericordiae, & justitiae in Deo patet, & miseretur.

Inst. Relatio realis, & res relativa idem prorsus significant; atqui Paternitas, & Spiratio activa sunt duae relationes reales: ergo sunt duae res relativae. R. Data Maj. D. Min. Paternitas, & Spiratio activa sunt duae relationes reales, ita ut Tò dicitur cadat supra relationes, C. ita ut eadem supra realitates, N. Hujus itaque propositionis: Paternitas, & Spiratio sunt duae relationes reales, sensus est, quod eadem entitas respiciat duos terminos distinctos, & habeat vim duplicis relationis realis. Dicitur tamen simpliciter duas relationes reales; quia haec vox Relatio appellat suum conceptum formalem supra terminum, & non supra subjectum; quia propria, & formalis ratio relationis est esse ad terminum, & ideo quando relatio dicitur, & numeratur, dicitur & numeratur sub appellatione ad terminum, sive sit entitativè una, sive plures. Attamen, quamvis sit eadem entitas relationis Paternitatis, & relationis Spirationis activae, non potest dici, quod relatio Paternitatis sit relatio Spirationis: sicut, licet sit eadem entitas justitiae, & misericordiae, non potest dici, quod attributum justitiae sit attributum misericordiae; quia, sicut per ly Attributum, ita per ly Relatio exprimitur ipsa virtualis distinctio, quia virtualiter distinguuntur tunc misericordia, & justitia, cum Paternitas, & Spiratio activa.

Dico 2. (Hic art. 4. ad 4. infr. q. 42. art. 1. ad 4. Et in 1. d. 31. q. 1. art. 1.) praeter quatuor relationes reales originis assignatas non sunt in Deo aliae relationes reales. Est communior cum D. Thom. & Thomistis contra Scotum, & Scotistas, qui admittunt in Deo relationes reales aequalitatis, & similitudinis. Esse aequalitatem, & similitudinem inter Personas divinas, fides docet, & probat S. Thom. infra q. 42. cit. aequalitas attenditur penes quantitatem, similitudo penes qualitatem: in Deo autem non est quantitas molis, sed virtutis; quatio igitur hic est, utrum ista aequalitas, & similitudo in Deo sint relationes reales. Negat conclusio.

Prob. 1. (Q. 42. cit.) In divinis Personis nihil est consi-

Theol. Biliure. Pars Prima.

derare nisi essentiam, in qua communicant, & relationes, in quibus distinguuntur; atqui relatio realis aequalitatis, aut similitudinis non potest accipi ex parte essentiae, quia essentia est eadem numero, idem autem ad seipsum realiter referri non potest: neque ex parte relationum; quia relatio non refertur per aliam aliquam relationem, alias iretur in infinitum; & insuper una relatio non potest fundari in alia, cum fundamentum debeat esse firmiter re fundata, & omnes relationes sint aequè debiles entitatis.

Prob. 2. & magis explicatur praecedens ratio. Ad relationem realem primi generis, scilicet aequalitatis, & similitudinis, requiritur, non solum quod extrema, seu subjecta sint realiter distincta, sed etiam quod fundamenta saltem proxima sint realiter distincta; atqui fundamenta relationum aequalitatis, & similitudinis in Deo non sunt realiter distincta; haec enim sunt magnitudo essentiae, seu virtutis quoad aequalitatem, & qualitates attributales, v. gr. bonitas, sapientia quoad similitudinem; haec autem in tribus personis non sunt distincta realiter, sed unum & idem numero: ergo. Prob. Maj. Fundamentum est ratio, cur subjecta referantur: sic duo corpora quanta non sunt formaliter aequalia, nisi quia duae quantitates sunt aequales; & duo parietes albi non sunt similes, nisi quia duae albedines sunt similes. Imò in his relationibus aequalitatis, & similitudinis fundamenta prius referuntur, quam extrema, seu subjecta: sic prius duae quantitates referuntur, quam duo extrema quanta, & duae qualitates v. gr. duae albedines prius referuntur ut similes, quam duo parietes albi: ergo ad relationem aequalitatis, & similitudinis requiritur, quod fundamenta sint realiter distincta.

Confirmatur. Extrema relationum realem qua talia opponuntur inter se relativè; id autem habere non possunt nisi ratione fundamenti, v. gr. duo parietes albi non opponuntur inter se relativè nisi ratione albedinis in utroque; atqui opponi non possunt inter se relativè ratione alicujus, quod est in utroque idem, & unum: ergo, ut opponantur realiter inter se, non potest esse unum, & idem fundamentum in utroque; unde, si esset una albedo in duobus parietibus, non esset relatio realis similitudinis inter illos.

Dices 1. Personae divinae sunt verè, & realiter aequales, independentes ab omni operatione intellectus: ergo aequalitas inter illas est relatio realis. R. N. Conseq. quia ut personae divinae sint & dicantur verè & realiter aequales, non requiritur aequalitas formaliter sumpta pro relatione reali, sed sufficit aequalitas fundamentaliter sumpta, seu fundamentum relationis, quod est unitas magnitudinis cum negatione excessus. Sic Deus est, & dicitur verè & realiter Dominus, quamvis relatio domini non sit realis in ipso, sed solum ejus fundamentum: sic Christus est, & dicitur verè & realiter filius B. Virginis, quia, quamvis relatio filiationis non sit realis in ipso, sed rationis tantum, ipsi tamen convenit independentes ab intellectu istius relationis fundamentum, scilicet generatio passiva. Et si inferas: ergo personae divinae non sunt formaliter aequales, sed fundamentaliter tantum; esto: sunt nihilominus verè & realiter aequales, non minus quam Deus sit realiter Dominus, & Christus Filius B. Virginis; quia verè & realiter est in ipsis unitas magnitudinis cum negatione excessus, quod praebet intellectui nostro fundamentum concipiendi eas referri, ac si realiter referrentur.

Inst. juxta nos fundamentum proximum relationis aequalitatis non est unitas magnitudinis cum negatione excessus, nisi adjuncta distinctione unius quantitatis ab alia; atqui in personis divinis non est realiter illa distinctio, est enim una numero essentia in omnibus: ergo non est in eis fundamentum proximum relationis aequalitatis. R. D. Maj. nisi adjuncta distinctione unius quantitatis ab alia tamquam ratione fundandi relationem, N. tamquam conditione requisita ad relationem actualem aequalitatis, C. unde sequitur dumtaxat, deesse conditionem requisitam, ut sequatur relatio actualis; non verò deesse fundamentum hujus relationis. Qui plura voluerit circa praesentem difficultatem, legat Gonetum disp. 12. art. 1. §. 2. & sequentibus.

Ex dictis colliges, inter ipsasmet relationes originis non esse alias relationes reales virtualiter distinctas, similitudinis, dissimilitudinis, distinctionis, & oppositionis, sed ipsas relationes originis seipsae esse similes, aut dissimiles, distinctas, aut oppositas: sicut in humanis, v. gr. Paternitas est similis alteri Paternitati, & dissimilis filiationi per seipsam, non per relationem similitudinis, aut dissimilitudinis superadditam; alioquin, ut diximus & probant Logici, iretur in infinitum; & quia una relatio non potest fundare alteram. Insuper, quod est per se tale, non fit tale per aliud: ergo Paternitas, quae per se est relatio, non refertur per aliam relationem.

De identitate, et distinctione Relationum ab essentia.

TRACTATU precedenti Dissert. 2. art. 3. suppositum 1. tanquam certum de fide ex Conc. Remensi ann. 1148. contra Gilbertum Porretanum, & ex Latern. IV. sub Innoc. III. 1217. adversus Abbatem Joachim, Relationes ab essentia non distinguuntur realiter. 2. Conclusionem 1. statuimus, & probavimus contra Scotistas ex Scriptura, ex laudatis Conciliis, ex Patribus, ex summa Dei perfectione, simplicitate, & unitate, relationes in Deo non distinguuntur ab essentia, distinctione formali actuali ex natura rei, vulgo Scotistica. 3. Altera conclusione diximus, relationes distinguuntur ab essentia, distinctione virtuali, seu rationis ratiocinatae, non quidem majori, quae sit per modum excludentis, & exclusi; sed minori, quae sit per modum impliciti, & expliciti. Et haec omnia, quae lato satis calamo illic deduximus cum objectionum solutionibus, habebantur hic pro dictis, ne eadem inlitter bis repetamus.

Verum ulterius quaerant plures Recentiores, utrum relationes ita realiter identificentur cum essentia, ut sint de conceptu quidditativo essentiae; & e converso, essentia de conceptu quidditativo relationum? Quamvis huic quaestioni, quae parum utilis nobis videtur, sufficienter esse satisfactum arbitremur per ea, quae diximus loco citato de praefata distinctione virtuali per modum impliciti, & expliciti; tamen ut Scholae serviamus, breviter

Dico: Relationes in Deo ita identificantur cum essentia divina, seu Deitate, ut sint de conceptu eius quidditativo, non explicito, sed implicito, & inadecuato; & e converso, essentia sit de conceptu relationum, etiam implicito, sed adequato.

Alii aliter id explicant: quidam dicunt, essentiam, & relationes, prout sunt in re, sese mutuo importare in suo conceptu; prout autem subjacent imperfecto nostro modo concipiendi, sese importare implicito, non explicito. Alii dicunt, essentiam, & relationes ex parte rei significatae sese mutuo importare, scilicet ex parte modi significandi. Hi, & alii similes modi dicendi in idem ferè redeunt cum nostro, & videtur inter eos esse quaestio de nomine.

Ceterum, cum dicimus relationes esse de conceptu essentiae divinae, non intelligimus, quod sint ejus constitutum, tanquam genus, aut differentia; sed quod sint tanquam modi essentialiter, & necessario ipsi competentes, seu quibus essentialiter petit modificari; ita ut sensus conclusionis sit, quod divina essentia, seu divinitas sic intrinsecè, & essentialiter includatur in relationibus, & vicissim relationes in essentia, ut neque essentia possit esse sine relationibus, aut intelligi sine illis, prout est in re, neque relationes possint esse, aut intelligi sicut revera sunt, sine essentia divina. Unde, quamvis essentia possit concipi praecisione formali, non conceptus explicitè relationibus, & relationes possint pariter praecindi, seu concipi non concepta explicitè essentia; implicat tamen conceptus essentiam, aut relationes, quin simul in illa, & in istis implicitè involvantur omnia, quae sunt in Deo. Confer, quae dixi de visione beata Tract. praeced. Dissert. 4. art. 10. §. 1.

Prob. 1. pars. 1. D. Thom. hic q. 27. art. 2. ad 3. dicit: *In ipsa perfectione divini esse continetur & Verbum intelligibiliter procedens, & principium Verbi, sicut et quaecumque ad ejus perfectionem pertinent.* Et infra q. 30. art. 3. ad 2. *Sicut est per se ista (propositio) Pater est Deus; ita et ista, Deus est Pater;* ergo. 2. Ratione, quam adhibuimus contra Scotistas Tract. praeced. citato. Si essentia divina non esset de conceptu, saltem implicito, relationum, nec vicissim relationes de conceptu implicito essentiae, ita ut se invicem non includerent, non salvaretur in Deo ratio actus purissimi, simplicissimi, & infiniti: ergo. Prob. Sequela; quia in hac hypothesis divina essentia conciperetur cum fundamento in re in potentia ad relationes actuabiles, & contrahibiles per illas ut per aliquid extraneum, & carens illis: sicut animalitas, quia non includitur implicitè in conceptu rationalitatis, concipitur in potentia ad rationalitatem, actuabiles, & contrahibiles per illam ut per aliquid extraneum, & carens illa; atqui repugnat actu purissimo, quod concipitur cum fundamento in re actuabiles, repugnat actu simplicissimo, quod concipitur in potentia ad aliquid extraneum, & tandem repugnat enti infinito, quod non includat, saltem implicitè, omne ens sibi possibile: ergo.

Prob. & explicatur 2. pars de conceptu adequato, & inadecuato. Quamvis, quidquid importat Paternitatem, aut altera relatio, id totum, & totaliter importetur saltem implicitè in conceptu essentiae, seu Deitatis, non tamen totum, quod importat essentiam, importatur etiam implicitè in Paternitate; quia Deitas, seu essentia importat Filiationem, quae non importatur etiam implicitè in conceptu Paternitatis; nisi correlativè, si quidem illi realiter opponatur, & idcirco ab illa realiter distinguatur. Unde conceptus essentiae magis latè patet, & aliud

includit, quam conceptus cujuslibet relationis seorsim sumptæ ergo.

Dices 1. S. Thom. infra q. 33. art. 3. ad 1. dicit: *Communio, absolute dicta... includitur in intellectu propriorum, sed non e converso; in intellectu enim personae Patris intelligitur Deus, sed non convertitur.* Item q. 8. de pot. art. 2. ad 6. dicit, hanc propositionem, *essentia est Paternitas*, non esse per se. Et ib. ad 2. *Alia est ratio essentiae, alia paternitatis:* ergo. R. cum S. Thomas alibi expressè doceat conclusionem nostram, ut patet ex probatione, concilianda sunt haec testimonia cum prioribus, conciliantur autem ex dictis. Ad 1. itaque verum est, quod in intellectu personae Patris intelligitur Deus, & non e converso, quatenus Deitas est de conceptu explicito personae Patris, non tamen persona Patris est de conceptu explicito, sed tantum implicito Deitatis, quia Deitas magis latè patet, quam persona Patris, & aliquid aliud includit, scilicet Filiationem, & Processionem, ut dictum est: sic in intellectu personae humanae intelligitur animal, non e converso; quia animalitas est de conceptu explicito personae humanae, non tamen persona humana de conceptu explicito animalis, sed implicito tantum, quia animal magis extenditur, quam persona humana: seu ut exemplum magis quadret, in intellectu substantiae intelligitur ens, non e converso, quia est ens de conceptu explicito substantiae, substantia verò non est de conceptu explicito entis, quia magis latè patet, quam substantia. Ad 2. Haec propositio, *essentia est Paternitas*, non est per se secundum conceptum explicitum, & ex parte modi significandi, C. Secundum conceptum implicitum, & ex parte rei significatae, N. Ad 3. similiter. Alia est ratio explicita essentiae, alia Paternitatis, sed eadem implicita.

Dices 2. Si Paternitas sit de essentia divinitatis, & e converso, sequitur, quod Pater generando Filium ipsi communicet Paternitatem, quia Filio communicat totam essentiam, sicutque Filius erit Pater; sin minus, communicat illi partem tantum substantiae, & sibi retinet partem, quod vetat dici Concil. Lateran. IV. contra Abbatem Joachim: ergo. R. Hoc argumentum non esse proprium contra nos; sed pariter militare contra omnes Catholicos, qui non agnoscunt distinctionem realem inter essentiam, & relationes, sed profiterentur ea esse unum, & idem omnino realiter, ut loquuntur Patres, & Concilia. Supposita enim hac omnimoda identitate reali inter essentiam, & relationes potest formari idem argumentum sic: si Paternitas sit realiter essentia divinitatis, sequitur, quod Pater generando Filium ipsi communicet Paternitatem, quia Filio communicat totam essentiam; sin minus, communicat illi partem essentiae, & sibi retinet partem. Curruat pariter contra hanc communem sententiam aliae difficultates, quae solent opponi contra nostram praesentem conclusionem, v. gr. quomodo Pater generat, & non essentia, cum qua Pater identificatur realiter? quomodo qualibet persona sit realiter Deus, si non importet alias personas, quae realiter includit Divinitas? Et alia similia. Sicut igitur haec in sententia communi Catholicorum de identitate reali essentiae, & relationum explicatur, & explicamus loco citato, beneficio distinctionis virtualis per modum expliciti, & impliciti, ita in praesenti sententia. Dicendum itaque, quod, quamvis Paternitas, & essentia sese mutuo implicite importent, non tamen explicitè; & ideo, quia virtualiter distinguuntur penes conceptus explicitos, & implicitos, & in eminentia Divinitatis identificantur salvis suis naturis communicabilitatis, & incommunicabilitatis, potest essentia communicari Filio quoad omnia absoluta essentialia, quae explicat, & sunt communicabilia, non communicatio relativo, quod implicat, propter oppositionem ad terminum, cui essentia communicatur. Neque inde sequitur, partem dumtaxat essentiae communicari Filio; est enim essentia indivisibilis; sed sequitur tantum, quod, licet det totam essentiam Filio, non tamen dat totum, quod est sua essentia, seu quod non communicet essentiam sub omni formalitate, quam ipsa essentia habet. Habet autem essentia rationem Paternitatis, quatenus est in Patre, & ideo non communicat Filio Paternitatem, quia est relatio realiter opposita filiationi, quamvis comparata ad essentiam sit eadem cum illa. Uno verbo, Pater communicat Filio essentiam quoad omnia, in quibus non obviat relatio oppositio, quia unum relativum non potest communicari suo correlativo, cui opponitur. Nec aliud intendit Concilium, alias contradiceret aliis Conciliis, & Patribus, ex quibus desumptum est istud commune principium: Omnia in divinis sunt unum & idem, nisi ubi obviat oppositio relativa.

Relationes (Hic art. 3. o.) verò sibi mutuo oppositae, scilicet paternitatem, filiationem, & spirationem activam respectivè ad passivam realiter inter se distinguunt, patet ex ipsa sui oppositione, & ex his, quae hucusquè diximus, maxime in Dissert. proemiali de distinctione, & pluralitate personarum, quae istis relationibus constituuntur, ut infra dicemus.

Quo-

Quomodo autem, supposita perfecta identitate illarum cum essentia, possint nihilominus realiter inter se distinguuntur, & verificari istud praecipuum artis syllogisticae principium: *Quae sunt eadem uno tercio, sunt eadem inter se*, etiam explicavimus cit. Dissert. proem. art. 2. §. 3.

ARTICULUS IV.

Utrum Relationes divinae habeant existentias relativas realiter inter se, et virtualiter ab existentia essentiae distinctas.

SUPpono, ut quid communiter receptum contra paucos, essentiam divinam ut praerelictam relationibus existere per propriam, & absolutam existentiam, quia ut praerelicta relationibus est actus purissimus: ergo actu existens: est ens increatum; ergo a se existens: est operans intelligendus, & volens; ergo existens. Denique in ipsa notione divinitatis ipsa existentia includitur; est enim ens a se existens, juxta illud Exod. 3. *Ego sum, qui sum.* Sed quaestio est, utrum relationes, seu personae divinae, sicut sunt entitates relativae realiter inter se, & virtualiter ab essentia distinctae, ita habeant proprias, & relativae existentias realiter inter se, & virtualiter ab existentia absoluta essentiae distinctas. Uno verbo, utrum tres personae divinae existant una existentia absoluta, an tribus existentias relativae? hoc ultimum affirmant Richardus a S. Vict. Scotus, Suarez, Isambert, quibus novissimè subscribit Honoratus Tournely. Negant communiter alii, non solum domestici, sed etiam extranei, cum S. Thom. Unde

Dico: (3. p. q. 17. art. 2. ad 3. q. 8. de pot. art. 2. ad 11. q. 2. de pot. art. 6. q. 9. de pot. art. 3. ad 19.) Relationes, seu personae divinae non habent existentias proprias relativae, sed existunt una absoluta existentia essentiae.

Prob. 1. Ex D. Thom. locis cit. q. 8. de pot. cit. *In divinis, inquit, nullo modo est esse nisi essentia; sicut nec intelligere nisi intellectus. Et propter hoc, sicut in Deo est tantum unum intelligere, ita etiam unum esse.* q. 9. cit. *diversitas secundum esse sequitur pluralitatem suppositorum: sicut & diversitas essentiae in rebus creatis: neutrum autem in divinis.* Et 3. part. cit. *Quia persona divina est idem cum natura, in personis divinis non est aliud esse personae praeter esse naturae. Et ideo tres personae non habent nisi unum esse. Habent autem triplex esse, si in eis esset aliud esse personae, & aliud naturae.* In quibus omnibus, si bene inspiciantur verba, patet S. Doctorem non loqui de esse essentiae, ut fingunt adversarii, sed de esse existentiae: quod magis patet ex ratione sequenti ab ipso desumpta.

Prob. 2. duplici ratione a priori. Prima est: absoluta non multiplicatur in divinis, quia non sunt sibi relativè oppositae; omnia autem sunt unum in Deo, ubi non obviat relatio oppositio, ut jam dictum est. Unde, licet sint tres personae, non est tamen triplex intelligere, triplex velle, triplex posse; atqui existentia relationis, seu personae, quam abusive vocant relativam, est quid absolutum: ergo. Prob. Min. 1. Existentia relationis non consistit in ordine ad terminum, sed in ordine ab subjectum, in quo est: nihil enim est aliud existentia relationis in creatis, quam *in esse*, in divinis *esse per se*: ergo est aliquid absolutum, & non relativum. 2. Existentia non convenit relationi secundum conceptum *Ad*, sed secundum conceptum *In*; tum quia secundum conceptum *Ad* abstrahit ab existentia, ut dicam art. seq. tum quia quod tribuit existentiam, debet exercere circa illam aliquid causalitatem; purus autem terminus habet solum terminare, non aliquid activè causare: ergo.

Alter ratio a priori. Tres illic existentiae relativae, si darentur, forent creatae, vel increatae. Neutrum dici potest: ergo. Non primum, quia repugnat Deo, quod aliquid existat in eo per existentiam creatam; & insuper sequeretur, quod personae, in quantum plures & relativae, forent creatae, quod est haereticum. Non secundum, quia existentia increata est unica in Deo: alioquin forent tres increati, non solum adjectivè, sed etiam substantivè, quia multiplicaretur forma, & subjectum, nam essent tres entitates habentes tres existentias increatas; quod est contra communem fidem Ecclesiae in Symbolo Athanas. *Non tres increati... sed unus increatus.*

Confirmatur: in hac hypothesis forent pariter tres aeterni substantivè, seu tres habentes tres aeternitates. Prob. Duratio nihil est aliud, quam continuata existentia, adeoque duratio in Deo, utpotè immutabilis, est aeternitas: ergo, si sint tres existentiae, erunt tres durationes immutabiles, consequenter tres aeternitates, & tres aeterni substantivè, hoc est, tres habentes tres aeternitates, quod est iterum contra Symbolum Athanasii: *Non tres aeterni, sed unus aeternus;* & non minus repugnat, quam dicere tres Deos, aut tres omnipotentes relativè: ergo.

Prob. 3. a posteriori. Relationes, seu personae divinae existunt per existentiam absolutam essentiae: ergo existentiae relativae superfluent, imò & implicent. Ant. & Conseq. sunt probandae. Prob. Ant. Existentia in Deo identificatur essentialiter cum essentia, est enim ens per se existens: essentia communicatur relationibus, seu personis, consequenter & ejus existentia; atqui non potest existentia alicui communicari nisi ipsum reddat existens, sicut sapientia vel albedo non potest homini communicari, nisi reddat sapientem vel album, effectus enim formalis formae est ipsa forma communicata: ergo relationes, seu personae divinae existunt per existentiam absolutam essentiae. Prob. Conseq. quoad 1. partem. Quod semel existit, non indiget alia existentia, per primam enim est extra nihil, & extra omnes causas: ergo superfluent existentiae relativae. Prob. eadem Conseq. quoad 2. partem. 1. Implicat, quod id quod semel est extra nihil, & extra omnes causas (quod est effectus formalis existentiae) iterum ponatur extra omnes causas. 2. Implicat esse duas ultimas actualitates; seu duos terminos ultimos ejusdem ordinis, & rationis, quia tunc neuter foret ultimus; atqui existentia est ultima actualitas, & ultimus terminus rei: ergo.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. cum Honor. Tournely. Aug. libr. 7. de Trinit. cap. 4. *Aliud est, inquit, Deo esse, aliud Patrem esse.* S. Cyrillus Alexand. Dialog. de Trinit. l. 1. loquens de Patre & Filio: *Cum uterque sit, ac subsistat, inquit, propriamque habere dicatur existentiam.* Adde S. Thom. qui quaest. 9. de pot. art. 5. ad 23. dicit: *Ad perfectionem divinitatis pertinet, ut sint plures modi existendi in divinis:* ergo. R. ad Aug. ipsum etiam ibidem e. 6. dicere: *Non aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed idem omnino.* Ut haec ergo concilietur, dicendum S. Doctorem non loqui de esse existentiae, sed de esse essentiae, quod est & non aliud in Deo & in Patre sub diversa ratione. Non est aliud ex parte rei significatae, est aliud ex parte modi significandi, quatenus, licet sit idem esse realiter, tamen *esse Deum* significatur ut ad se, & *esse Patrem* significatur ut ad aliud. Ad Cyrillum, sumit existentiam pro substantia, ut patet ex textu citato; vel dicit propriam existentiam ratione modi; quia, licet sit una communis trium personarum existentia, diversis tamen modis illis convenit, Patri ut a se habita, Filio ut communicata per generationem, Spiritui S. per spirationem. Quo sensu loquitur S. Thom. citatus; non enim dicit, ut sicut plures existentiae, sed ut sint plures modi existendi.

Obj. 2. cum eodem. 1. Relationes, quatenus a natura distinctae, sunt aliquid reale: ergo propriam habent existentiam. Prob. Conseq. existentia nihil aliud est, quam ipsum ens actu; atqui relationes, prout ab essentia distinguuntur, sunt verè in actu: ergo. Cum Pater Filium producat, necesse est aliquid produci existentiam; omnis quippe productio terminatur ad existentiam. 3. Unaqueque res habet suam existentiam; atqui divinae personae sunt res a se invicem distinctae: ergo. Et haec vocat Tournely *aperta rationum momenta*, quae nos dicimus apertas hallucinationes. Unde R. Ad 1. N. Conseq. ad Prob. 1. N. Maj. nam juxta Thomistas in Metaphys. existentia non est ipsa res, sed rei actualitas, qua sicutur extra nihil & extra omnes causas. 2. Data Maj. D. Min. Relationes, prout ab essentia distinguuntur, sunt verè in actu per existentiam absolutam essentiae, C. per existentias relativae, N. Si istes: sunt plures entitates actuales, D. Tò plures cadente supra entitates, C. cadente supra actualitates, N. sunt enim tres entitates actuales eadem actualitate, sicut sunt tres personae divinae eadem divinitate.

Ad 2. N. Ant. Ad Prob. D. omnis productio terminatur ad existentiam productam, vel communicatam, C. semper productam, N. Rem enim producere est illam existentem constituere, quod aequè bene fit, existentiam jam productam communicando, quam novam producendo. Sicut, licet essentia divina modificata relatione sit terminus formalis productionis divinae, haec tamen essentia non de novo producitur, sed solius communicatur.

Ad 3. D. Maj. unaquaque res habet suam existentiam propriam vel communem, C. semper propriam & distinctam, N. sic humanitas Christi est res, & tamen non habet propriam & distinctam existentiam, sed existit existentia Verbi. Si istes: Relatio creata habet propriam & distinctam existentiam: ergo & divina. R. N. Conseq. Disparitas est multiplex: 1. Relatio creata non existit per existentiam subjecti, sed per existentiam, seu inharentiam. Relationes divinae existunt per existentiam absolutam essentiae: eadem res autem non potest existere duabus existentibus, ut probavimus. 2. Relatio creata fiabet esse accidentale, divina substantiale: undè, licet in nobis sapientia, v. gr. habeat existentiam propriam & distinctam

ab

ab existentia substantiæ, non tamē in Deo; ita & Relatio. 3. Absoluta multiplicari possunt in creatis, secus in divinis. 4. Non repugnat dici plura creata substantivē in uno composito: repugnet verō dici plures increatos substantivē in Deo.

Obj. 3. Existentiā debet proportionari entitati, cujus est existentia: ergo existentia divinarum relationum debet esse relativa. R. D. Ant. Existentiā debet proportionari entitati, cujus est existentia quoad rationes communes accidentis & substantiæ, C. Ant. quia, sicut substantia non potest existere per existentiam accidentis, quæ est inherentiā, ita accidens non potest existere per existentiam substantiæ, quæ est perseitas. Quoad alias rationes particulares, N. Corpus enim, v. gr. existit per existentiam animæ, quæ est spiritualis.

Inferes: ergo Pater in divinis est ad se, & non ad alium; quod est contra rationem Relativorum, quorum totum esse est ad aliud se habere. R. D. Illatum: Pater est ad se quoad rationem existentiam, C. quoad quidditatem, & rationem relativam, N. cum autem definitur relativum, cujus totum esse est ad aliud se habere, esse non sumitur pro quidditate, quæ non dicitur ad sed in, ut probavimus, sed sumitur pro quidditate, seu ratione formali.

Obj. 4. præter substantiam absolutam in Deo dantur tres substantiæ relativæ: ergo a pari præter existentiam absolutam dantur tres existentiæ relativæ. R. N. Conseq. Disparitas est, quod substantia absoluta det tantum perseitatem independentiæ, non incommunicabilitatis, undè restat locus substantiæ relativæ, quæ adfert perseitatem incommunicabilitatis, nec inde multiplicatur absoluta ejusdem rationis. Existentiā autem, sive absolutam sive relativam, unicum habet effectum, quod est ponere rem extra omnes causas, & extra nihil, quod præstat existentia absoluta; consequenter secunda superfluit, imò implicat, ut probatum est: & si daretur, multiplicarentur absoluta ejusdem rationis, ut etiam probavimus. Hoc argumentum iterum redibit Dissertat. seq. ubi de illis substantiis relativis, & accuratius dissolvitur.

ARTICULUS V.

Utrum Relationes divini, præter absolutam essentiam perfectionem, afferant aliam relativam?

Vides, nos supponere relationes divinas esse in se perfectas, & veram habere perfectionem; cum enim identificentur realiter cum essentia divina, eandem procl. dubio cum illa perfectionem infinitam habent, ratione cujus necessario amantur a Deo, a nobis adorari debent adoratione latrice, ut docet S. Th. hic art. 2. in arg. Sed contra: sed quia virtualiter, & ratione distinguuntur ab essentia, questio est, utrum præter perfectionem absolutam essentia, quam in se imbibunt, afferant vi, & ratione conceptus ad aliam propriam & relativam, virtualiter ab absoluta essentia perfectione distinctam?

Non videtur itaque Honor. Tournely attingere punctum difficultatis, dum dicit sensum questionis esse, utrum relationes originis, formaliter ut relationes sunt, & secundum suum esse ad, ac ut virtualiter ab essentia distinguuntur, sint veræ perfectiones; eamque questionem hoc sensu affirmativè resolvit: nullus namque, ut arbitror, negat, relationes etiam ut tales, & virtualiter ab essentia distinctas esse veras perfectiones, ea scilicet ipsa reali, & absoluta perfectione essentia, quam realiter includunt, ut explicat ipse Tournely in sua 2. probatione: sed questio est, inquam, an, præter istam absolutam essentia perfectionem, qua gaudent, afferant vi, & ratione conceptus relativi aliam relativam ab absoluta distinctam, sicut attributa absoluta, v. gr. sapientia, præter perfectionem essentia, afferant sibi propriam virtualiter a priori distinctam; quod nec attingit, nec explicat Tournely. Questio hæc utrumque probabiliter, salva fide, defenditur, etiam in Schola D. Th. Partem negativam amplectimur, aliquosque nobis probabiliores: il vero, quibus affirmativa magis ardebit, ejus fundamenta reperiet in objectionibus, & responcionibus ad nostra fundamenta in corpore præsentis articuli. Igitur

Dico: Relationes divini præter perfectionem absolutam essentia, quam implicite important, non afferunt vi conceptus sui relativi aliam perfectionem relativam, ab absoluta virtualiter distinctam. Ita ex Thomistis Capreolus, Ferrar. Cajet. & alii, quos citant, & sequuntur Salmanticenses, item Gonet, Marcus a Serra, & alii, contra Joannem a S. Th. Contenson, Bancel, & alios. Prob. 1. Auctoritate. S. Augustinus 7. de Trinit. cap. 1. & 6. dicit, bonitatem & magnitudinem perfectionis in divinis non relative, sed ad se dici: ergo omnis perfectio in Deo est absoluta, nulla relativa. Idem Aug. l. 5. cap. 8. Magnus Pater, inquit, magnus Filius, magnus Spiritus S. non tamen tres magni, sed unus magnus... Bonus Pater, bonus Fi-

lius, bonus Spiritus S. nec tres boni, sed unus est bonus; atque, si bonitas, si magnitudo, quæ juxta S. Th. infra q. 42. art. 1. ad 1. significat ejus perfectionem, realiter multiplicaretur in personis divinis, hæc possent dici tres boni, tres magni, tres perfecti, non solum adjective, sed etiam substantive, quia significatum tam materiale quam formale harum vocum, bonus, magnus, multiplicaretur: ergo. S. Th. infra q. 42. art. 4. ad 2. Paternitas, inquit, est dignitas Patris, sicut & essentia; nam dignitas est absoluta, & ad essentiam pertinet: sicut igitur eadem essentia, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio, ita eadem dignitas, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio. Verè ergo dicitur, quod, quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius: nec sequitur, Paternitatem habet Pater; ergo Paternitatem habet Filius; mutatur enim quid in ad aliquid eadem enim est essentia, & dignitas Patris & Filii, sed in Patre est secundum relationem dantis, in Filio secundum relationem accipientis. Quibus verbis S. Doctor. conclusionem nostram non solum aperte asserit, sed & probat; quia nempe Patris dignitas, seu perfectio est absoluta, & ad essentiam pertinet, eademque est in Patre & in Filio.

Prob. 2. duplici ratione a priori, ex principiis S. Th. desumpta. 1. ratio supponit ex S. Doct. supra q. 1. art. 1. & 3. bonum, & perfectum inter se converti; quia in tantum aliquid est bonum, in quantum est appetibile, & unumquodque est appetibile secundum quod est perfectum, quia omnia appetunt suam perfectionem; quo supposito, sic proponitur: In tantum aliquid est bonum & perfectum, in quantum vel est in actu existentia, vel dicitur ordinem ad illam; atque relationes divini vi conceptus ad, & ut sunt puri respectus ad terminum, neque existunt, neque dicuntur ordinem ad existentiam, sed solum vi conceptus in, seu ratione divini essentia, quam includunt: ergo. Maj. est D. Th. q. 5. cit. & patet, quia voluntas non fertur in aliquid nisi sub ordine ad existentiam; id autem solum est bonum & perfectum, quod voluntas appetit. Minor est etiam S. Doctoris q. 2. de pot. art. 5. ubi dicit: Quod ratio in quantum est relatio, non habet quod sit aliquid, sed solum quod sit ad aliquid. Patet insuper ratione; quia relatio secundum sibi propria, & ut est purus respectus, nihil respicit nisi ordinando ad terminum, quia totum ejus esse est ad aliud se habere; atqui non potest ordinare existentiam suam ad terminum, quia existentia relationis non est ad terminum, sed ad subjectum: ergo ratione sui, & vi conceptus ad non dicitur ordinem ad existentiam, sed ab ea abstrahit. Confer 2. probat. art. præced.

2. Ratio a priori. Ratio perfectionis debet sumi per ordinem ad subjectum inspectum ratione sui, & in illo sistendo; atque relatio vi proprii conceptus nullum respicit subjectum ratione sui in illo sistendo, sed ratione termini: ergo. Minor est. D. Th. hic art. 2. ubi ponit discrimen inter relationem, & aliam generam; Quod in aliis generibus a relatione, ut quantitate & qualitate, etiam propria ratio generis accipitur secundum comparisonem ad subjectum ratione sui & ad se: sic quantitas dicitur mensura substantiæ, qualitas dispositio substantiæ; sed ratio propria relationis non accipitur secundum comparisonem ad subjectum ratione sui, & in eo sistendo, sed per comparisonem ad aliquid extra, scilicet terminum. Patet etiam ratione; quia, hoc ipso quo conceptus aliquis est relativus, licet subjectum respiciat, illud tamen respicit ordinandum ad terminum, & ratione termini, quia totum ejus esse est ad aliud se habere. Major autem Prob. Perfectio debet respicere subjectum perfectibile per commensurationem cum illo; atque, si non respiciat subjectum ratione sui, sed ratione termini, non commensurabitur cum illo, sed cum termino, qui est ratio respiciendi subjectum: ergo.

Respondet Contensonus, quod, licet perfectio absoluta respiciat subjectum perfectibile ratione sui, perfectio tamen relativam respiciat subjectum perfectibile in ordine ad aliud, ut patet in potentis & habitibus. Sed contra: male hic confundit doctissimus Theologus relationes prædicamentales cum transcendentalibus, quales sunt potentia & habitus; hæc namque non sunt puri respectus ad purum terminum, sed sunt formæ absolutæ afficientes, & respicientes subjectum ratione sui, & secundario tantum connotantes aliquid extrinsecum, non ut purum terminum, sed ut objectum sui, & subjecti perfectivum. Undè non est mirum, si subjectum respiciant, & perficiant in ordine ad aliud; sive, ut rectius loquamur, si respiciant aliud, ut perficiant subjectum. At relationes, de quibus hic agimus, sunt puri respectus ad purum terminum, consequenter non respiciunt subjectum ratione sui, sed ratione termini.

Ex his duabus rationibus colliges discrimen, quod intercedit inter attributa divina & relationes; nempe, quod attributa, cum sint absoluta, dicant secundum propriam suam rationem ordinem ad existentiam, & respiciant essentiam ratione sui, illamque perficiant in ordine ad se, non in ordine ad aliud, quod habet rationem puri termini, sicque addunt perfectionem aliquam virtualiter distinctam; at relationes ex propria ratione

sua explicita neque dicunt ordinem ad existentiam, neque respiciunt divinam essentiam ratione sui, sed terminum purum sibi correlatum; consequenter non addunt perfectionem aliquam relativam, sed purum respectum, a perfectione & imperfectione abstrahentem.

Prob. 3. Concl. ab inconvenientibus. Si relationes in divinis afferant & multiplicent perfectionem relativam, sequitur 1. quod erunt tres magnitudines, tres bonitates, tres perfectiones, consequenter tres magni, tres boni, tres perfecti substantive, contra Aug. supr. cit. Sequitur 2. quod omnes tres personæ erant quilibet perfectus saltem extensive quam una; contra eundem Aug. 6. de Trinit. cap. 8. & l. 8. cap. 1. & serm. 38. de temp. ubi ait: Tantus est solus Pater, quantum est simul Pater, & Filius, & Spiritus S. Sequitur 3. quod nulla persona erit infinite perfecta, quia nulla habebit omnino perfectionem; Patri namque deerit filiatio & perfectio relativa paternitatis, sicut Filio deerit paternitas & perfectio relativa filiationis; sicut enim inter relationes intercedit oppositio relativa, ita inter perfectiones relativæ: ergo Pater non erit formaliter infinite perfectus, neque similiter Filius.

Neque dicas, ad rationem infinite perfecti sufficere, quod habeat omnem perfectionem absolutam, non relativam, & maxime correlativam; eo quod de hujus ratione sit, quod sit incommunicabilis suo correlativo. Nam illud non potest censeri infinite & ex omni parte perfectum, quod caret aliqua vera perfectione nullam in suo conceptu imperfectionem importante, quæ debet esse perfectio relativa, si detur; alioquin non esset in persona divina. Et sanè, si non possit dici infinite perfectum, quod caret aliqua vera perfectione absoluta; quo jure dicitur infinite perfectum, quod caret perfectione æque vera & pura, licet relativa? Ergo vel non datur perfectio relativa, vel illam habere debet ens infinite perfectum; & si non habeat, non est infinite perfectum. Insuper implicat infinite perfectum habere repugnantiam & impossibilitatem cum pura perfectione, quæ nullam involvit imperfectionem, quia ipsamet repugnantia & impossibilitas cum hujusmodi perfectione imperfectionem est.

Sequitur 4. tolli æqualitatem inter personas divinas. Prob. 1. Hoc ipso quo paternitas est perfectio relativa distincta a filiatione, debet ab ea distingui specie, seu quasi specie, & essentialiter, tunc quia paternitas & filiatio non differunt solo numero ut duæ paternitates, aut duæ filiationes; cum quia distinctio merè numerica petatur a potentialitate & materia, quæ non est in Deo; unde quidquid differt in Deo, specie & essentialiter differt; atque, quod specie & essentialiter differt ab alio, est necessario perfectioris inæqualis cum illo, quia species sunt sicut numeri, quorum unus vel excedit, vel exceditur semper ab altero. Prob. 2. In hypothese Pater & Filius essent perfectiones Spiritu S., quia Pater ultra perfectionem paternitatis, & Filius ultra perfectionem filiationis, haberent perfectionem spiritalis activæ; Spiritus S. autem haberet unicam perfectionem, scilicet spiritalis passivæ: ergo.

Respondet communiter adversarii, hæc inconvenientia non sequi ex sua sententiâ; quia, licet perfectio relativa unius personæ non sit in alia formaliter, est tamen eminenter ratione essentia, imo, ut quidam dicunt, aliquo modo formaliter per circummissionem, seu reciprocam unius in altera existentiam. Sed contra 1. hæc responcio non tangit primum inconvenientiam, ut patet; deinde non sufficienter salvat alia inconvenientiam. 1. Quia ens summè & infinite perfectum debet perfectissimo modo continere omnes perfectiones simpliciter simplices, hoc est, quæ nullam involvant imperfectionem, quales sunt perfectiones relativæ, si detur; atque modus continendi formaliter eminenter est perfectio modo continendi eminenter tantum: ergo. 2. Ens summè & infinite perfectum debet aliter continere perfectiones, quæ nullam involvant imperfectionem, quæ quæ involvunt; atque hæc continet eminenter: ergo priores debet continere formaliter. 3. Si Deus non contineret formaliter omnes perfectiones simpliciter simplices, non esset formaliter infinite perfectus; ergo, si una persona non contineret formaliter perfectiones alterius, non erit formaliter infinite perfecta: ergo ista continentia eminentialis non impedit, quin ex sententiâ adversariorum construatur inanita perfectio & æqualitas personarum; neque quin omnes tres personæ sint quilibet perfectius, quam una. Ad id autem, quod quidam addunt de circummissionem, estò Paternitas sit in Filio per circummissionem, non tamen formaliter afficit & perficit Filium; alias ipsum constitueret Patrem: ergo neque iste dicendi modus salvat inconvenientiam.

Respondet noster Bancel, unam personam habere totam perfectionem alterius compensativè, quatenus, sicut perfectio relativa Paternitatis est infinita, ita perfectio relativa Filiationis est infinita; & sicut perfectio Paternitatis est in solo Patre constitutivè & in Filio terminativè, ita perfectio Filiationis est

in solo Filio constitutivè & in Patre terminativè; atque sic adequatâ compensatio, ac proinde omnimoda æqualitas. Sed contra: Dato, hæc responcio salvat æqualitatem inter personæ divinas, manent nihilominus alia inconvenientia, nimirum quod sint tres magni, tres perfecti; quod omnes personæ sint quilibet perfectius, quam una; quod nulla sit infinite perfecta, cum careat perfectione alterius. Undè falsum supponit Bancel, dum supponit personas in sua hypothese manere infinitas. Verum neque hæc ratione salvatur æqualitas inter illas; quia, ut dictum est, quæ differunt specie, se habent ut excedentes & excessi, adeoque inter illas non potest dari compensatio. Insuper insto in Patre & Filio; illi enim haberent duplicem perfectionem relativam, Spiritus S. unicam: ergo nulla compensatio.

Respondet noster Contensonus, æqualitatem attendi in divinis solum penes absoluta, juxta SS. PP. & maxime S. Th. hic q. 42. art. 4. ad 2. Sed contra: verum quidem est, juxta SS. PP. & S. Th. æqualitatem in divinis attendi solum penes absoluta, quia hæc sola, & non relativa, important perfectionem, ut docet S. Th. eo ipso loco, quem objicit Contensonus; at, si etiam relativa vi sua importarent perfectionem, necessario penes illa, non minus quam penes absoluta, attenderet æqualitas, vel inæqualitas. Insuper hæc responcio non salvat alia inconvenientia, ut de præcedente dictum est.

Respondet iterum laudatus Theologus, quod, licet relationes divini differant specie, vel quasi specie in ratione relationis, non tamen in ratione perfectionis; sed secundum istam rationem perfectionis differant solo numero, quia terminantur ad eundem specie terminum solo numero distinctum, scilicet ad Deum. Sed contra 1. Fortè hucusque inauditum fuit in Schola D. Th. dari in mens spiritualibus, maxime in divinis, distinctionem purè numericam, quippe quæ secundum principia S. Doctoris desumitur a materia. Sed, etsi posset dari, non denumeretur a termino, sed a subjecto, quod habet rationem matericæ. 2. Inintelligibile est, relationes per terminum specificatas distinguere inter se specie, & perfectiones relativæ habentes eundem terminum specificativum solo numero distingui; falsum quippe est, quod supponit Contensonus, perfectiones relativæ terminari ad unum specie terminum, scilicet ad Deum, & relationes ad terminum specie diversum. Nam, sicut Paternitas terminatur ad Filium ut genitum, ita & perfectio relativa paternitatis, si detur; & e converso, sicut Filiatio terminatur ad Patrem ut generantem, ita perfectio relativa filiationis, si detur. At vero Pater ut generans, & Filius ut genitus sunt termini in genere relativi, specie, & non solo numero, distincti. Sed, & data gratis hæc responcio, hoc ipso quo Contensonus admittit esse in personis divinis perfectiones relativæ numero distinctas, sequuntur alia inconvenientia, nempe nullam personam esse infinite perfectam; omnes tres esse perfectiores, quam unam; esse tres magnos, & treperfectos substantivè.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. Plures Patrum & Concillorum auctoritates. 1. Synodus VI. generalis act. 18. in Edicto Imperatoris Pogonati dicit: *Credimus... unitatem quidem propter naturalem unionem ac dominationem; Trinitatem vero, propter vicium subsistentiarum perfectionem & divinitas superexistentis bonitatis.* Et Act. 4. *Credimus, divinitatem Patris, & Filii, & Spiritus S. esse in tribus perfectis subsistentiis.* 2. Damascenus l. 1. de fide cap. 11. dicit: *In proprietatibus Paternitatis, Filiationis, & processions secundum causam & causalem seu causatum & personalem perfectionem (id est, existentie modum) differentiam in intelligimus.* 3. Cyrillus l. 2. thes. cap. 1. *Non potest esse perfecta divinitas, nisi Filium habeat.* l. 1. S. Th. q. 8. de pot. art. 1. ad 1. *Divina essentia, quia comprehendit omnium generum perfectiones, nihil prohibet relationem in ea inveniri.* Et ibid. q. 9. art. 5. ad 23. *Non esset omnimoda perfectio in divinis, nisi esset ibi processio Verbi, et amoris.* Ad stipulantur alii Patres, qui passim docent Deitatem non fore plenam & perfectam sine personis & relationibus; mysteriumque Trinitatis, quod per relationes constituitur, dicere summam & infinitam perfectionem in Deo, seu ad summam Dei perfectionem pertinere: ergo.

Pro solutione harum & similium auctoritatum nota 1. nos ut jam diximus, non negare substantias & relationes divinas etiam ut virtualiter distinctas ab essentia importare perfectionem; sed eam dicimus absolutam & indistinctam ab ipsa perfectione essentia, quam includunt, non autem relativam, & ab ipsa perfectione essentia distinctam. Vide dicta initio articuli. Nota 2. Aliud esse relationes divinas ad divinitatis perfectionem pertinere, aliud ipsas ex suo conceptu, formali natura divinæ perfectionem superaddere; potest enim ad perfectionem alicujus essentia pertinere, quod suam perfectionem communicet alicui rationi formali, quæ, licet ex suo conceptu formali

perfectionem non afferat, est tamen capax recipiendi perfectionem essentia. Et ita est in proposito. In tantum igitur divine relationes dicuntur pertinere ad perfectionem divinitatis, & mysterium Trinitatis dicere summam perfectionem, in quantum essentia divina, cum sit infinite fecunda, petit communicari relationibus ut terminis sue fecunditatis; non autem quod relationes superaddant ipsi aliquam perfectionem relativam, virtualiter ab absoluta distinctam. Ita ut perfectio, quam importat relationes, aut mysterium SS. Trinitatis, se teneat ex parte naturae communicatae relationibus, non autem proveniat ex ipsis relationibus; siquae ex negatione relationum, seu processionum inferretur, quidem Deum non fore perfectum, sed argueretur tantum & a posteriori, sicut ex defectu possibilitatis creaturarum inferretur a posteriori & per locum extrinsecum destructio omnipotentiae divinae. Itaque

Ad auctoritatem Concilii & Damasceni, R. eas esse intelligendas juxta 1. notamen de perfectione absoluta essentiae, quam relationibus non denegamus; quae perfectio, ut diversis relationibus, & diverso modo existendi modificata, dicitur personalis; est enim in Patre ut ingenta, in Filio ut genita, in Spiritu S. ut ab utroque procedens; & hanc esse mentem Patrum patet; tunc quia ponunt Perfectionem in singulari; tunc quia To Perfectionem explicant per *Existentie modum*, ut Damascenus. Sunt igitur tres subsistentiae perfectae, tres relationes perfectae, tres personae perfectae, sed una perfectione essentiae diversimode modificata. Ad alias auctoritates, R. eas esse intelligendas ad sensum 2. notaminis.

Inst. S. Th. Opusc. 1. contra errores Graecorum c. 7. dicit: *Quidam Patres suam perfectionem non habent ab aliis, Filius autem et Spiritus S. perfectionem suam habent a Patre*; atqui nemo dicit suam, quod habet commune cum aliis: ergo praeter perfectionem absolutam, communem tribus personis, habent sibi propriam, & relativam. Ita Bancel. R. D. Minor. Nemo dicit suam, quod habet commune cum aliis quoad rem & modum, C. quod habet commune cum aliis quoad rem tantum, & proprium quoad modum, N. hoc igitur sensu dicit S. Th. Patrem habere suam perfectionem, Filium & Spiritum S. suam; quia, licet sit una entitativa perfectio tribus communis, participatur tamen ab aliis diverso modo unicuique proprio, ut diximus.

Repones: S. Th. q. 29. art. 3. docet, in Deo, cui attribuenda est omnis perfectio, respirari rationem personae, quia *Persona significat id, quod perfectissimum est in tota natura*; atqui haec ratio nihil probaret, si personalitas nihil adderet perfectionis essentiae: ergo R. N. Min. Licet enim personae divinae ratione subsistentiarum relativarum perfectionem non explicent, & duplicem tamen implicent, nempe subsistentiae absolutae, quam includunt, & naturae intellectualis, quam important in obliquo: est enim persona naturae rationalis individua substantia. Unde ex eo quod divina natura continet omnem perfectionem, recte infert S. Thom. rationem personae in eo reperi.

Obj. 2. a priori: Omne reale existens in Deo importat explicitam perfectionem; atqui relatio est realiter in Deo existens, virtualiter distincta ab essentia: ergo importat explicitam perfectionem, virtualiter distinctam a perfectione essentiae. Minor est certa: Prob. Maj. 1. Quaecumque realis entitas, saltem prout existit, convertitur cum bonitate; repugnat enim, quod aliquid sit existens in rerum natura, & quod non sit bonum, cum sit obiectum, ad quod fertur voluntas, quae non potest amare nisi bonum; patetque ex D. Th. sup. q. 4. art. 1. & q. 5. art. 3. ubi resolvit, quod omne ens in actu sit bonum: ergo omne reale existens, &c. Prob. 2. Quod habet, quicquid requiritur ad propriam integritatem, nihilque ei deest in proprio genere, est perfectum, ut docet Arist. subscriptique S. Th. sup. q. 4. art. 1. Et patet ex ipsius nominis etymologia: perfectum est quasi perfectae actum; atqui omne reale existens in Deo, adeoque omnis relatio habet, quicquid requiritur ad propriam integritatem, nihilque ei deest in proprio genere, v. gr. Paternitati nihil deest ad perfectam, completam, & cumulatam rationem Paternitatis: ergo, &c. Prob. Maj. 3. Illud est bonum & perfectum, quod est conveniens rei, quae bona & perfecta dicitur; atqui omne reale existens in Deo est ipsi formaliter conveniens, & specialiter relationes conveniunt personis, utpote quae relationibus constituuntur; nihil autem est magis rei conveniens, quam ejus constitutum: ergo. Prob. 4. Quicquid invenitur formaliter in ente perfectissimo, quale est Deus, spirare debet perfectionem: ergo, &c. Patet Ant. alias ens perfectissimum non deeret, nec esset formaliter in Deo, sed tantum eminenter eo modo, quo perfectiones secundum quid sunt in Deo: ergo. Haec fuisse prosequitur Contentionsus.

R. Totam hanc argumentationem facile solvi ex positis principiis, quibus probavimus nihil dici perfectum aut bonum, nisi dicat ordinem ad existentiam, & respiciat subiectum ratione sui. Unde ad 1. Majorem totius argumenti, D. Omne reale existens in Deo importat explicitam perfectionem ex parte, qua

importat existentiam, G. ea parte, qua non importat existentiam, N. Similiter ad Min. Relatio est realiter existens in Deo ex suo formali conceptu *Ad*, N. ex conceptu formali *In*, secundum quem identificatur cum essentia, C. Hinc fluunt solutiones ad quatuor probationes sequentes. Ad primam, D. Maj. Quaecumque realis entitas, saltem prout realiter existit, convertitur cum bonitate ex ea parte, qua existit, C. ex ea parte, qua non existit, N. ex parte autem relationis formaliter, seu conceptus *Ad*, abstrahit ab existentia, vel non existentia, ut probavimus.

Ad 2. Prob. Quidam distinguunt inter bonitatem seu perfectionem transcendentalem, & perfectivam, seu qualificativam; majoremque concedunt de bonitate transcendentali, negant autem de perfectiva & qualificativa. Haec solutio est probabilis; sed, ut videtur, conformis principiis D. Th. statuti, aliter D. Maj. quod habet, quicquid requiritur ad propriam integritatem, nihilque deest in suo proprio genere, est perfectum, si dicat ordinem ad existentiam, subjectoque conveniat ratione sui, C. secus, N. sic v. gr. mathematica, prout subsunt abstractioni a materia sensibili & singulari, item rationes specificae hominis, leonis, &c., praecise secundum suas formales rationes sumptae, licet concipiuntur habere, quicquid requiritur ad sui integritatem, quia tamen abstrahunt ut sic ab ordine ad existentiam, non sunt bonae, nec perfectae, ut docet D. Th. de verit. q. 21. art. 2. ad 4. & cum eo Thomista in Metaphysica.

Ad 3. Prob. R. 1. D. Maj. Illud est bonum & perfectum, quod convenit subiecto ratione sui & cum ordine ad existentiam, C. secus, N. Et ad hunc sensum, D. Min. N. Consequ. Ad Majorem explicationem R. 2. data Majori, N. Min. Etsi enim relationes divinae reipsa conveniant diversis personis, quas constituunt, quia ratione essentiae sunt reales & existunt, tamen ut sunt puri respectus ad terminum, praescindunt a ratione convenientiae cum illis. 1. Quia sub hac formalitate praescindunt ab existentia, & ab ordine ad illam; in tantum autem est aliquid alteri conveniens, in quantum existit, vel dicit ordinem ad existentiam. 2. Quia non respiciunt subiectum ratione sui, sed ratione termini correlativi: in tantum autem aliquid dicitur alteri conveniens & consonum, in quantum illud respicit ratione sui, & in illo stat, ut diximus. Unde inferes, relationes divinas neque esse infinitas secundum se, neque finitas, sed ab infinitate aut finitate, sicut a perfectione vel imperfectione abstrahere, eo fere modo quo homo, licet a parte rei sit albus vel niger, secundum se tamen ab utraque qualitate abstrahit.

Ad 4. probationem, D. Ant. Quicquid formaliter reperitur in Deo, debet spirare perfectionem ex parte sui, vel alterius cui necessarium est, C. semper ex parte sui, N. sufficit enim, quod sit tale quod sine quo res perfecta non subsisteret: sic est autem in proposito; licet enim relationes ratione sui non explicent perfectionem, necessario tamen requiruntur ad perfectionem divinitatis, quatenus sunt termini divinae fecunditatis, quibus communicatur ipsa divina perfectio.

Inst. Si foret in Deo unica subsistentia, diceret perfectionem ab essentia distinctam; atqui non est assignabilis perfectio, cur ex pluralitate subsistentiarum personalitas amittat perfectionem. ergo R. N. Min. & assigno rationem; quia scilicet, si daretur in Deo unica subsistentia, vel foret ipsissima Dei essentia sine distinctione virtuali, ut plures censent de subsistentia absoluta; vel saltem adderet aliquid absolutum ad essentiam & consequenter perfectionem: nunc vero, cum nihil nisi relativum addat, ideo non addit perfectionem.

Repones: personalitas creata dicit perfectionem realiter modaliter a perfectione naturae distinctam; atqui relationes divinae sunt personalitates divinae: ergo a fortiori, &c. R. D. Maj. personalitas creata, sumpta quoad perseitatem independentiae dicit perfectionem, C. sumpta quoad perseitatem incommunicabilitatis, N. Similiter D. Min.; atqui relationes divinae sunt personalitates Dei quoad perseitatem incommunicabilitatis, C. quoad perseitatem independentiae, N. Personalitas igitur duo dicit, perseitatem independentiae & incommunicabilitatis ulteriori supposito; primum importat perfectionem, non secundum (non est enim perfectio alteri non posse communicari) primum autem persona divina habet a subsistentia absoluta, secundum a relationibus. Unde non sequitur ex nostra sententia, personalitatem creatam esse perfectionem personalitatis divinae, ut male infert Contentionsus.

Et hinc solvet aliud argumentum, quod sic proponitur. Personalitas creata est perfectio; atqui personalitas Verbi, ut virtualiter distincta ab essentia & vi conceptus relativi terminat naturam humanam in Christo, & in hoc supplet vices personalitatis create: ergo personalitas Verbi vi conceptus relativi est perfectio. R. ex dictis D. Major. personalitas creata quantum ad perseitatem independentiae est perfectio, C. Maj. quantum ad perseitatem incommunicabilitatis, N. Maj. Ad hunc sensum D. Min.; atqui personalitas Verbi vi conceptus relativi supplet

vi-

vices personalitatis create, quantum ad perseitatem incommunicabilitatis, C. Min. quantum ad perseitatem independentiae, N. Min. quantum ad hoc enim supplet vices personalitatis create vi subsistentiae absolutae, quam implicite importat.

Urgebis: personalitas Verbi, ut virtualiter distincta ab essentia, & ut relatio sanctificat naturam humanam; atqui sanc-

titas necessario explicat perfectionem: ergo R. D. Maj. personalitas Verbi ut relatio sanctificat naturam humanam ut quod, Transeat; ut quo, Subdistinguo: ratione naturae divinae, quam implicat, C. Min. ratione sui, ut est relatio, N. Min. & Consequ. Consule Tract. de Incarnat. ad q. 7. D. Th.

DISSERTATIO IV.

DE PERSONIS IN COMMUNI, EARUM PLURALITALE, modo loquendi de illis, earumque notionibus.

Div. Thom. Quest. 29. 30. 31. 32.

ARTICULUS I.

Quid est Persona? An sit idem cum hypostasi, & subsistens? An proprie sit in divinis; & quid significet?

D. Th. Q. 29.

Quaeritur 1. quid sit Persona? R. Persona recte definitur a Boetio libr. de duabus naturis, *Rationalis natura individua substantia*. Hanc definitionem hic, & alibi explicat, & defendit S. Th. (*Hic q. 29. art. 0.*) & cum eo communiter Theologi.

Pro quo nota, quod, quamvis nomen personae derivatum sit a representando seu personando alicujus gesta, ut fit in comediis, in quibus olim, ut notat Boetius, recitatores ad representandum aliquem, cujus gesta recitabant, larva quadam faciem velebant, & sic recitationem suam personabant; quia tamen iudicium de nomine non debet esse secundum id, a quo imponitur, sed secundum id, ad quod significandum imponitur; sicut lapis, licet dicatur a ledendo pedem, non tamen omne ledens pedem est lapis; hinc, quamvis, ut dixi, nomen personae a personando, & representando etymologiam derivet, inde tamen communi usu tractum est ad significandos ipsos homines substantialiter in se; qui usui frequens est in Jure civili, dum agitur de actione, seu injuria personarum; imò, & in Scriptura, ut patet Sap. 6. *Non subtrahit personam cuiusquam Deus*. At Auct. 10. *Non est personarum acceptor Deus*. Et alibi. (*Ibid. art. 3. ad 2.*) Et quia in comediis, & tragediis representabantur aliqui homines famosi, impositum est hoc nomen Persona ad significandum aliquos, dignitatem habentes. Unde consueverunt dici Persona in Ecclesiis, quae habent aliquam dignitatem.... & quia magne dignitatis est in rationali natura subsistere, ideo omne individuum rationalis aut intellectualis naturae, puta Homo, Angelus, Deus, nunc apud omnes dicitur Persona. His notatis,

Explicatur definitio: dicitur *Substantia*, quae tenet locum generis, & supponit pro substantia completa: non solum solim accidentia, sed etiam partes sive integrales sive essentiales, imò, & anima rationalis; etiam in statu separationis, excluduntur a ratione personae. Ponitur *Individua* loco differentiae, id est, ita singularis, ut etiam sit incommunicabilis: quapropter Richardus a S. Vict. hanc particulam *incommunicabilis* definitioni personae majoris explicationis gratia addit. Porro juxta scriptum ad Hamibald. d. 5. quest. unica art. 2. persona excludit triplicem communicabilitatem, scilicet universalis ad inferiora, quia est singularis; partis ad totum, quia est substantia completa; naturae ad suppositum, quia est ultimo terminata. Hinc a ratione personae excluditur humanitas Christi; quia, licet sit individua, & singularis, prout singulare opponitur universali, non est tamen incommunicabilis supposito. Item & essentia divina ut praeterea personis; quia, licet subsistat subsistentia absoluta, est tamen illis communicabilis. Subsistentia tamen relativae in Deo sunt verae personae; quia, licet natura sub illis sit communicabilis, ipsa tamen persona, seu ipsa natura reduplicative ut personata, non est communicabilis, etenim persona Patris, aut natura ut in Patre, non est communicabilis Filio; & hoc sufficit in divinis ad rationem personae, licet forte non sufficiat in humanis. Quia, ut recte notat Joannes a S. Th. personalitates divinae sunt relativae, non absolutae. De ratione autem relativae est, quod habeat correlativum, & quidem licet distinctum a se in quantum oppositum sibi, non tamen a se distinctum in eo, in quo non est oppositum: porro inter relationes, & naturam nulla est oppositio, sed tantum inter ipsas relationes ad invicem. Relatio igitur in divinis habet correlativum terminum intra eandem naturam, ideoque non est terminus adequatus naturae, sed inadecuatus,

Theol. Billuar. Pars Prima.

quia debet dare consortium alteri correlativo: unde non est de ratione subsistentiae relativae reddere ipsam naturam incommunicabilem, ut natura est, sed ipsam tantum personam relativam, seu naturam formaliter ut personatam, & non absolute, quia est terminus ejus inadecuatus, utpote relativus. Personalitas autem creata absoluta est, & ideo adequata; unde, non solum personam, sed etiam ipsam naturam reddit incommunicabilem: & propterea exclusa fuit hujusmodi personalitas, dum humanitas assumpta fuit a Verbo, ut dicemus de Incarnatione. Dicitur: *natura rationalis, seu intellectualis*; quia, licet alia composita substantialia naturarum irrationabilium habeant suam subsistentiam, & sint supposita, non tamen sunt, nec dicuntur personae; dicitur enim suppositum leonis aut lapidis, non persona; quia scilicet, ut diximus, nomen personae praesertim fert aliquam dignitatem, & ideo solis suppositis intellectualibus appropriatur.

Quaeritur 2. Utrum Persona sit idem, quod hypostasis, & subsistentia? R. negativè. (*Ibid. art. 2. 0.*) Quia hypostasis, & subsistentia magis late patent, quam persona; quod enim hypostasis, & subsistentia significant in toto genere substantiarum, hoc nomen personae significat in generationalium substantiarum.

Ad pleniorum hujus quaestionis intelligentiam, nota, magnum olim fuisse controversiam Graecos inter, & Latinos de hac voce graeca *Hypostasis*, de qua Gregorius Nazianz. orat. 21. in laudem magni Athanasii, & supra quam S. Hieronymus, consulit Damasum Papam. Latini existimabant, Hypostasim idem significare ac Usiam, seu essentiam; & ideo tres hypostasies rejiciebant, & Graecos eas admittentes Arianismi insimulabant: *Taceantur*, inquit Hieron. Ep. ad Damasum, *tres hypostasies, una teneatur: mihi credite, veniunt sub melle latee*, Graeci vero putantes personam usurpari ad similitudinem eorum, quae geruntur in Comediis, ubi unus homo plures exhibet personas, atque per eam non significari substantiam sed officium, seu qualitatem, Latinos unam hypostasim, & tres personas admittentes Sabellianismi accusabant, quasi in Deo unicum suppositum agnovissent, quod propter varios effectus, & varia officia modo diceretur Pater, modo Filius, modo Spiritus S. quod erat error Sabellii.

Sed tandem hoc dissidium, ortum, ut observat Nazianzenus citatus, ex verborum inopia, & quod non nisi de vocibus erat, compositum est, & communi consensu hypostasis accepta est pro persona, ita ut nullus sit modo Theologus Latinus, qui non fateatur in Deo tres hypostasies, sicut tres personas. Unde in Symbolo Athanasii ubi Latini habent, *alia est persona Patris*, Graeci habent *hypostasis*: imò hoc vocabulum ita commune evasit apud Latinos, ut unionem humanitatis in persona Verbi soleant appellare unionem hypostaticam.

Quoad subsistentiam, quae Latinis est, quod apud Graecos hypostasis, licet olim apud Latinos acciperetur pro essentia ut hypostasis, sicut patet ex Concil. Rom. apud Theodoret. l. 2. cap. 22. ubi dicitur Spiritum Sanctum habere unam cum Patre, & Filio subsistentiam, id est, essentiam; postea consensu communi usurpata est pro persona ex 1. Concil. Constantinop. in Ep. ad Damasum, ex Concil. Chalced. act. 16. Conc. 5. generali can. 1. Conc. 6. generali act. 4. & alibi; ubi praedicantur in Deo tres subsistentiae, non secus ac tres personae.

Quaeritur 3. utrum personae divinae possint dici tres substantiae: sicut dicuntur tres hypostasies, seu tres personae? Ratio dubitandi est; quia definitur persona per substantiam. Antè responsionem advertet, substantiam secundum etymologiam dici dupliciter, vel a sustentando, vel a subsistendo, seu per se existendo. Quo posito R. Si sumatur 1. sensu recte dixit Aug. l. 7. de Trinit. c. 5. Deum abusive vocari substantiam, quia scilicet nullis accidentibus substat. Si sumatur 2. modo, equidem maxime Deo convenit, quia est ens a se maxime per se subsistens, & ab omni alio independens.

ii

Hic